VINCENTII MONTI POEMATIS IN OBITU UGONIS BASVILLE LATINA INTERPRETATIO

Vincenzo Monti

VINCENTII MONTI POEMATIS

IN OBITU

UGONIS BASVILLE

LATINA INTERPRETATIO

VINCENTII MONTI POEMATIS

IN OBITU

UGONIS BASVILLE

LATINA INTERPRETATIO

FLORENTIÆ
E TYPOGRAPHEO A S. ANTONINO

1867

JOANNI BAPTISTÆ RISTORIO
INGENIO ET MORUM SUAVITATE
CUIQUE CARISSIMO
TERTIO NONAS JANUARIAS 1867
IN SACELLO SCHOL. PIAR.
UBI AD MARTYRUM RELIQUIAS JAM ORAVIT PUER
CHRISTO DEO REDEMPTORI
SACRA NUPER PRIMITUS LITATA
SOLEMNITER INSTAURANTI
JOSEPHUS MANNI E SCHOLIS PIIS
GRATULATUS

Joanni Baptistæ Ristorio Josephus Manni

E SCH. PIIS S. D.

Catholici poëtæ carmina hæc latinis modis interpretata, accipe tuo nomine inscripta, Joannes carissime, in tanta omnium lætitia, benevolentiæ meæ testimonium. Doleo totius pöematis interpretationem, cujus specimen hic exhibeo, me non potuisse tibi dedicare; verum non voluntas defuit sed tempus, post solemnia hæc, me prorsus insciente, properata. Vale.

Florentiæ ad S. Joan. Ev. Kal. Jan. 1867.

Vincentii Monti Poematis

IN OBITU

U. B.

LATINA INTERPRETATIO

Jam fractæ vires Erebi, et regnator Abyssi
Terrificos stringens ungues, frustratus abibat
Impastus veluti leo frendens, ore ciebat
Blasphemo Numen, quassato vertice jactans,
Queis caput intorquet, linguis stridentibus, hydras.
Tunc alas pandit trepidas excussus Ugonis
Spiritus, et vitæ migravit regna secundæ,
Membra suo linquens dudum perfusa cruore.
Et quibus exierat mortalis vincula retro
Aspexit, manet usque recens bellumque metusque
Excipit ast dulci risu et solatur amice
Nuncius æthereus, vicit qui prœlia Ditis.
Salve, anima o felix, salveto, sit, ana sororum,

Omnia queis cœli pietas commissa remittit.
Parce metu, non nuda manet te nigra paludis
Tartareæ, fati qua spes melioris adempta.
At qui mortalis labes rimatur, et omnes
Dignoscit maculas, rigidus vel jure piusve,
Optati prohibet fixe te limine Olympi
Donec tantorum scelerum det Gallia pœnas.
Interea clades et quæque miserrima cernens
Lugensque in terris, horum pars magna, piabis
Suppliciumque tibi patriam spectare nefandam,
Sidera quæ patri cœno fœdara videtur;
Ut quæ secretam Divini Numinis iram
Lætificat, postis expletis finibus, alta
Ultio jam matura adstat, cœloque minatur.
Sic ait; atque alter demisso lumine adorans,
Mens, Dens, hæc, inquit, nimium tua mitis et æqua.
Dein quas consortes habuit, dum vita maneret,
Corporis exuvias, et quas pia perculit ira,
Extremum aspiciens; placide requiescite, dixit,
O mihi dilectæ comites sociæque laborum,
Dum tuba cœlestis resonet, cieatque sepulcro.
Vobis terra levis, sint auræ imbresque faventes
Interea, jaciat neve aspera verba viator.
Post funus non ira manet, vosque hospita tellus
Excipit antiqua recti notissima fama.
Tantum effata, gemens tristis vestigia torsit
Umbra, ducem sectans ac plurima corde volutans;
Ceu puer ereptus nugis a matre, trahentem

Invitus sequitur, cupida et retro lumina torquet.
Rorida nigranti velo nox texerat orbem,
Tergaque romuleis dederant jam mœnibus ambo.
Ecce autem summa Petri cœlestis in æde
Visus adesse ales, septem e minitantibus inter
Septenas rutilare faces, quos viderat olim
Mentis in excessu candenti ex agmine Ioannes.
Lumina stant flamma, et ventis ludibria crines,
More micant morbos ducentis et arma cometæ:
Dextraque sanguinea ferali luce nitentem
Perstringit gladium, quo fracta horrentior umbra;
Lævaque ab insidiis, scuto, quod sustinet ingens,
Late tecta tegit Vaticanæ ardua molis.
Ceu solet alitum pennis regina tueri
Ignaros alis natos se credere cœlo:
Exercent requiem tuti sub matribus ipsi,
Dum terrent alios resonantes æthere nimbi.
Umbræ ante invictum Petri qui signa tuetur
Decursu placido secuerunt aëra pennis.
Hinc dicto citius, ardosa ingemit æquor
Quo syrtes inter, vectæ advenere volatu.
Atque heic horrendum! incerta sub luce Dianæ
Antennas late laceraque carbasa cernunt
Quæ Notus alludit, vel corpora cæsa virorum,
Signave tracta mari passim; gemitusque, querelasque
Heu! cuncta irati discerpunt irrita venti.
Interea temere minitata et sidera et undas
Gallica libertas infrendet littora circum.

Turbantemque genas vesani pœnitet ausus,
Aemula fulminei postquam imminet hasta Britanni
Haud passura moras, et somno Celtiber alto
Excussus, ferrum educens, festinat et ipse
Quas rogat Italia ac dignas Germania pœnas:
Dum prædam expectans Thyrrenum murmurat æquor,
Et dolet expertes Gallorum sanguine fluctus.
Frustraque irata litus diverberat unda
Hinc Nicæ luctum non ultum, hinc mœnia cernens
Unelıæ fumum volventia et hactenus arma.
Tum probrum tale indignum tristesque ruinas
Gallicus aspiciens pudibundus spiritus, implet
Imbre genas, tacitoque premit vestigia gressu
Massiliæ donec diris allabitur oris.
Atque heic hen majns sævi cæcique furoris
Objicitur monstrum, postquam non horruit amens
Ipsi libertas indicere bella Tonanti.
Namque crucem divo, visu miserabilel onustam
Pondere conspiciunt, media illudente caterva;
Et vir vulneribus transfossus pectora centum
Ante trabem sanctam fundebat sanguine terram
Tum vero ætheream peregrinæ territa fletus
Largior ora rigat. comisque en umbra propinquans,
O cui tanta genas, inquit, vestigia luctus
Deturpant, anima o mitis, quæ devenis istam
Oram, quæ pœnas has pro virtute reposcit,
Siste gradum, atque hæc accipias. mihi in artubus illis
Exanimis, queis sanguis abest, (atque indicat artus)

Quos tu respiciens tanta pietate moveris,
Hospitium vivo: lictor, peccator et idem:
Immenso sed enim succurrit amore Redemptor:
Namque horum insano excitus diroque furore
(Eloquar an sileam?) laqueo jugulare nefando,
Ut sontes, Christum, sacri cecidere rudentes,
Non comptæ mansere comæ, gelidusque oucurrit
Ima per ossa tremor, perque ora exterrita visu
Hic trajecta fero sensi mea corpora ferro,
Ac rubuit tepuitque meo quoque sanguine lignum.
Dum qui poscenti veniam non defuit unquam,
Corde mage admovi quam verbo vota precesque
Hinc immensa Dei pietas me excepit amica,
Hinc cœlum merui votis, æternaque læto
Hinc mihi supremæ riserunt gaudia pacis.
Ille hæc dum fatur, defixo lumine contra
Alter suspexit, consperaua tempora fletu,
Floris ceu calamus multo qui rore madescit
Antea quam solis revebat lux alma colores
Amplexus dein ingeminans et dulcia verba,
Ut socios inter, pandit sua fata vicissim.
Ac ipsi at Cherubim venerati signa salutis
Sacra, et adorantes devote in pulvere proni,
Immensum pietate Deum cecinere per auras,
Solvit in irriguos fontes qui scrupea, magnia
Excepit atque ulnis ad se quod vertitur omne.
Dein iter accelerat quoniam dux aliger, umbræ
Sæpe vale dicunt, jucunda ac oscula miscent

Ac una inspiciens restat, mansuraque tempus
Massilia æternos quo perdita sentiat ictus.
Altera sed Rhodani pennis emensa fluenta,
Transabiit tinctas civili sanguine valles
Queis sedet Avenio, melioris nescia celsis
Intemerata gregis Romani pabula postquam
Deseruit, meretrix quos atra Lutetia nutrit
Sectatura suea, turpes æsturaque glandes
Sequanicas, queis ista procos trabit altera Circe
Præterlabentem vidit magnusque Garumna,
Atque Gebennarum rupes, pollutaque rura
Hæreticas et adhuc veteres testantia cædes.
Dexter vidit Arar segni qui defluit amne,
Lævus et inde Liger pontem ripasque recusans
Helvetiæ dein fatales transgressa per agros,
Ex quo signa tulit primum victricia Cæsar,
Nivernum transit, graditurque ad littora ubi Anglos
Edomuit, major ferro vel corde puella.
Hinc ad Santonicos portus peregrina retorquens
Remigium alarum, terras atque omne tuetur
Litus, Aquitanum fluctu quod verberat æquor.
Celtica dein nemora advehitur resonantia quæque
Bellica criniti cecinerunt carmina Bardi.
Normanos populos, tarda et qua Sequana fauce
Miscetur pelago, trajectat, quasque Britanni
Ad quas Picardi ferit oras æquoris unda.
Inde Mosæ ad fontes, lavat et quos Matrona campos
Vertit iter, quæcumque tenent planctusque cruorque

Namque nefas cernit totis baccharier arvis
Omnigenum, atque Themin pollnta excedere terra
Latrone abreptas post summa fasceque lances,
Cui neque dissutis sagulis atra membra teguntur,
Et nunquam sancto rubuerunt ora pudore
Cervices sectas, fœdas et sanguine furcas
Conspicit, et flammas, gemitus vocesque ululantum
Mœrentes implere vias, mediisque plateas.
Conspicit armàto violata heu milite templa,
Et fugere errantem Christum per opaca viarum;
Aeraque sacratis avulsa e turribus alte
Conqueri, et horrendo demissa liquescere Marti:
Squalentesque agros, et pinguia culta perusta
Ingemere in duras stivas convertier hastas.
Interea, Musas nec enim meditatur avena
Pastor, non jucunda tenent jam carmina ripas,
Tympana sed clamorque virum clangorque tubarum
Impius et segetes, heu! culta novalia, miles
Eripit, et misero lacrymata armenta colono.
Et frustra ferit ipse latus, frustraque nefastam
Canitiem lacerat, deserti in limina tecti;
Latroni nec enim Gallo sat rumpere caulas,
Quin etiam properat natos avellere, natos,
Et placidos sævo permutat acinace sparos,
Pro stimulo horrendum laterique accommodat ensem.
Eheu orbo interea restat non ulla parenti
Dextera, qua vigeat sæclis effœta senectus,
Fractusque in mensa panis jucundior adstet.

Hinc odit lassus lucem, cæcusque dolore
Advocat, et queritur cunctantem funeris horam:
Et sola opposito miseret mœrentis ab antro
Ac gemebunda suis ploratibus assonat Echo.
Infremuit doluitque horrens conversus Ugonis
Spiritus hæc diri cernens spectacla furoris;
Depinxitque genas quo tingitur æthra colore
Cum visæ immotæ rubicundæ et vespere nubes
Ingemere occidui morientia lumina Phœbi;
Et sic ore rubens, questus et verba movere
Optabat, sed enim imis faucibus hærebat vox:
Effando prohibent magni nam pectoris æstus,
Et produnt variam tamen ipsa silentia mentem
At qui mutato norat dux abdita vultu,
Comiter aspexit mœrentem, ac talia fatus.
Immanem, quæso, pietatem iramque refrena,
Nam graviora manent, pelagique horrentior unda.
Hæc ita si tangunt, ecquid mortalis quando
Pulpita, vel ferrum... quando miserabile vulnus...
Quando conspicies.... nec plura: per alma recurrens
Membra tremor, sævæ tardavit imaginis alas,
Et pro voce dedit sanctum suspiria pectus.